

Ne cleric. vel monach., in 6, non loquitur de spoliatione, ut in 5 tom., tertia parte, num. 8 allato, dixi. Et omnia alia jura magis loquuntur de mutatione habitus, cum qua status relinquatur, quam de spoliatione, ut supra notavi. Unde ex vi juris communis hoc prohibitum non est; neque etiam ex natura rei, aut ratione voti, seu status religiosi. Consulenda ergo est religiosa regula, tanta enim erit hæc obligatio, quanta in illa fuerit imposita. Unde nisi ex aliis circumstantiis hæc transgressio fiat culpabilis, vel mortale peccatum, non erit talis, nisi juxta regulæ obligationem. Ait tamen Sylvester, verb. *Faccommunicatio*, 9, num. 52, nunquam dimitti (etiam hoc modo) a religioso professo sine rationabili causa absque peccato: *Quia adeo* (inquit) *est annexus ossibus monachorum, quod in quocumque loco consistentes, sive in lecto quiescentes, constanter eo uti debent*; citat cap. *Vidua*, 20, quæst. 4, ubi Concilium Toletanum X, loquens de virginibus sacris quæ religionem prolitentur, ait: *Tunc accepta a Sacerdote, vel ministro, apta religionis professioni veste, seu in lectulo quiescens, sive in quocumque loco consistens, constanter ea utatur*. Et Concilium Carthaginense IV, cap. 11, dicit: *Sanctimonialis virgo cum ad consecrationem suo Episcopo offertur, in talibus vestibus applicetur, qualibus semper usura est, professioni et sanctimonie aptis*; habetur in cap. *Sanctimonialis*, 23 dist. Imo indicat præterea Sylvester hoc peccatum esse mortale, si ex rationabili causa non fiat, ut si ex lascivia (inquit) et illicita sensualitate dormiendi quietius in hospitio extra monasterium. Et Navarrus, in consil. de Apostatis, significat religiosum, qui spoliatur habitu ad liberius fornicandum, peccare mortaliter, non solum contra temperantiam, sed etiam exuendo habitum, quamvis apostata non sit. Nihilominus ex vi juris communis certum existimo non esse in hoc obligationem sub peccato mortali, quia neque in citatis decretis sunt verba quæ indicent rigorosum præceptum. Nam in cap. *Vidua* solum dicitur, *constanter ea utatur*; in alio vero, *qualibus semper usura est*, quæ non sunt verba rigore præceptiva, ut per se constat; nec communi usu et consuetudine ita sunt interpretata. Nec dicti auctores oppositum sentiunt; nam Sylvester expresse dicit, licet monachi debeant semper suo habitu uti, tamen hoc debitum esse honestatis, non necessitatis. Et in hanc sententiam refert Archidiaconum, et Joan. Andream; solum ergo volunt ex circumstantia extrinseca

posse illud peccatum esse mortale. Unde in prædicto casu intemperantis religiosi non erit, per se loquendo, duplex malitia mortalis in illo actu, una fornicationis, alia spoliationis habitus, nisi fortasse ex speciali regula talis prohibitio cum eo rigore facta sit; semper enim jura specialia excipimus, quæ consulenda et observanda sunt. Alia de decencia, quam religiosi in vestibus servare debent, legi possunt apud Navarr., Comment. 4, de Regul., numero vigesimo septimo, ubi late expendit Clem. 4, de Constit., de qua aliqua dicemus in cap. undecimo.

CAPUT VI.

UTRUM RELIGIOSI AD CLAUSURAM SERVANDAM NON EGREDIENDO CLAUSTRUM PROPRIO ET RIGOROSO PRÆCEPTO TENEANTUR.

Circa clausuram major est et specialis monialium obligatio, et ideo quæ in genere dicemus, de viris præcipue intelligenda sunt; postea in cap. 8 et 9, quod feminis fuerit particulare addemus. Potest autem religiosa clausura in duas partes distribui: una est observatio claustrum, non egrediendo extra illud; alia est ejusdem claustrum observatio, non admitendo personas extraneas seculares vel laicas intra illud.

1. *Argumentum pro sententia neg.*—*Prima pars argumenti urgetur.*—Circa priorem partem clausuræ in hoc capite propositæ, quæstio est an habeant religiosi speciale præceptum non egrediendi extra claustrum sine legitima facultate, et consequenter an talis egressus ex suo genere sit peccatum mortale. Ratio dubitandi est, quia hæc obligatio non oritur ex voto, nec ex præcepto ecclesiastico; ergo ad summum oritur ex regula; ergo non est major quam sit communis obligatio regulæ; non est ergo, per se loquendo, et ex genere suo, peccatum mortale. Prima pars antecedentis probatur, quia religiosi directe non vovent clausuram, quia ordinarie solum vovent tria substantialia vota; neque etiam indirecte in his continetur clausura, nisi in quantum in virtute obedientiæ præcipi potest; ergo, donec ita præcipiatur per regulam vel Prælatum, non est talis obligatio ex vi voti. Neque obstat quod aliqui dicuntur profiteri expresse hoc modo: *Promitto Deo, et Sanctis ejus, et vobis, Domino Abbati, me perpetuam continentiam servaturum in hac domo, vel monasterio, ut ex Speculatore refert Navar-*

statim citandus, tum quia illud speciale est, et mihi non constat in qua religione servetur; tum etiam quia intentio illorum verborum non est promittere nunquam exire a monasterio materiali, sed formali, ut sic dicam, id est, servare continentiam cum perseverantia in tali statu.

2. *Urgetur posterior pars argumenti.*—Secunda pars probatur, quia nullum est in jure canonicum decretum quod hujusmodi præceptum satis probet. Nam si qua sunt, maxime illa quæ Gratianus congerit, 16, q. 1. Illa vero non de permanentia in clausura, ut sic, sed in ordine ad abstinendum a functionibus ecclesiasticis loquuntur, quando verbis utuntur præceptivis, ut patebit unum vel aliud attingendo. Primum est c. *Placuit*, secundum, 16, q. 1, ubi Eugenius Papa ait: *Placuit communi nostro Concilio, ut nullus monachorum pro lucro terreno de monasterio exire nefandissimo ausu præsumat*. Et infra: *Sit claustrum suo contentus; quia sicut piscis sine aqua caret vita, ita sine monasterio monachus*. Unde Bernardus, serm. 4 de S. Andrea, monasteria comparat stagnis a quibus pisces non habent divagandi facultatem. In quibus verbis priora, quæ majorem rigorem continent, non sunt absoluta, sed cum illis limitationibus, *pro lucro terreno, et nefandissimo ausu*, ex quibus constat non simpliciter prohiberi exitum, sed ad pravum finem, vel ad actiones vel ministeria monachis prohibita, quæ ibi statim recensentur juxta illius temporis consuetudinem. Posteriora autem verba non continent præceptum, sed monitionem et recordationem proprii status, ut patet etiam ex subjunctis verbis: *Sedeat itaque solitarius, et taceat, quia mundo mortuus est, Deo autem vivit*. Quomodo etiam dicit Concilium Nicænum, in c. *Placuit*, 1, ejusdem quæst.: *Placuit omnibus residentibus in sancta Nicæna Synodo, ut monachorum conversatio et vita secundum etymologiam nominis ab omnibus discrepet (monachus enim græce, latine singularis dicitur), unde monachum per omnia singulariter agere oportet*. Per quæ verba sui status illum admonet; et postea subjungunt præceptum in his decretis (quod præ oculis habendum est) intentum; agunt enim de monachis antiquis, qui ex vi status non erant sacerdotes, neque ad ministeria ecclesiastica ordinabantur, sed ad vitam separatam et contemplativam agendam; directe ergo prohibentur exire ad illa ministeria circa populum peragenda, non vero novum præceptum circa eorum statum eis imponitur. Imo,

in dict. c. *Placuit*, 1, in fine, aperte supponitur monachos posse exire seu peregrinari, nam dicitur ut non sepeliant nisi monachum in monasterio secum commorantem, etsi fortuito quemquam advenientium fratrum ibi mori contigerit. Per illam vero comparisonem piscis declaratur utilitas vel necessitas claustrum ex vi status, non ex speciali præcepto canonico. Aliud decretum est in cap. *Monachi*, 2, eadem quæst., sed constat manifeste ibi non exitum, sed ecclesiasticum ministerium egredienti prohiberi, et præterea addi, *sine imperio Abbatis*. Idem potest responderi ad c. *Juxta*, et c. *Qui vere*, ibid.

3. *Probantur consequentiæ argumenti n. 1 illatæ.*—Consequentiæ autem in num. 1 illatæ probantur a sufficienti partium enumeratione, quia non est aliud principium unde possit oriri hæc obligatio, nisi regula, quæ quoad hanc observantiam non fertur majori rigore, nec verbis magis indicantibus præceptum, quam in aliis, ut videre licet in Regula Augustini, cap. 10, alias 29; quoad hanc partem solum dicitur: *Qui habet aliquo eundi necessitatem, cum quibus Propositus jussit, ire debet*. Dixerat enim in capite præcedenti, et in c. 16, alias 8, ut nunquam soli incedant, sed duo vel tres simul; hic autem subjungit, socium debere a prælato designari; unde a fortiori supponere videtur, potius quam dispo- nere, ut petatur licentia a Præposito, si quod eundum est: hæc autem regulæ non plus obligant quam reliquæ. Basilius autem in sua regula nullum peculiare præceptum de hæc re posuit; solum, in reg. 35, ex fusioribus, indicat utilitatem magnam manendi intra claustra. Et in c. 8 Constit. monast., monet graviter religiosos ut in assignato sibi ad habitandum loco fortiter et quiete permaneant, et non facile huc illucque discurrant. Subdit vero statim: *Neque vero tamen propterea perpetuo est tanquam in custodia permanendum, sed quandocumque et res poscit, et conscientia non reprehendit, libere est fidenterque prodeundum, ita tamen ut in prodeundo modus teneatur, et prava omnis suspicio evitetur*. In regula autem Carmelitarum (quæ creditur esse Basili), capite sexto, dicitur: *Maneant singuli in cellulis suis, vel juxta eas die ac nocte in lege Domini meditantes*, etc. Ex quibus a fortiori sequitur obligatio manendi in claustrum. Sed illa regula non plus obligat quam aliæ, et certum est minus obligare quam præceptum non exeundi extra claustrum; gravius enim peccaret religiosus Carmelita extra

claustrum sine licentia exiens, quam extra cellam. In regula etiam D. Benedicti nihil expressum de hac re invenitur, nam, licet cap. vigesimo nono supponatur esse grave delictum egredi monasterium, tamen sermo ibi est de egressu per apostasiam, vel fugam, quod longe diversum est. In cap. autem 51, prohibet comedere extra monasterium sine imperio Abbatis, de exitu autem nihil dicit. Neque etiam S. Franciscus in sua regula; solum enim de volentibus ire ad infideles, disponit in c. ult., ut non eant sine licentia Ministri Provincialis. Denique in Regula S. Pachomii, c. 36, 47 et 72, prohibetur exitus sine licentia, sicut prohibetur etiam locutio, aut deambulatio in monasterio, vel aliquid simile. Non apparet ergo unde in hac re sit rigorosa præcepti obligatio.

4. *Primum præmissum in hac questione certum.* — *Secundum præmissum.* — *Tertium præmissum.* — Ut separemus certa ab incertis, supponendum est exitum a monasterio animi apostatandi, vel fugiendi ab obedientia Prælatorum, esse intrinsece malum, supposita professione, et ex genere suo peccatum mortale, quia directe repugnat obligationi quæ ex professione nascitur. De qua re infra, in lib. 3, a c. 1, ubi de mutatione religiosi status, dicturi sumus; hic enim non agimus de permanentia in statu, et recessu illi contrario, sed de permanentia in loco materiali monasterii, ut sic dicam, et hanc vocamus clausuram, cui opponitur egressio tantum localis extra septa totius monasterii. Secundo, certum est hanc clausuram non esse ita præceptam monachis seu religiosis, ut nulla ratione eis liceat extra claustrum exire; nam de licentia legitimi Prælati exire licet, ut supponunt omnes regulæ religiosorum, et jus commune non repugnat, communisque consuetudo confirmat. Certum est etiam Prælatos communi et ordinaria potestate posse dare hanc licentiam, nisi ubi aliquod jus proprium alicujus religionis obstiterit. Tertio, suppono esse in religiosis aliquam obligationem non exeundi e claustro sine licentia Prælati, hoc enim etiam constat ex regulis et ex usu. Intelligendum est autem de religiosis infra Prælatum, nam ipse Prælatum sibi poterit facere facultatem, ut per se constat, quamvis in modo possit excedere, ut infra attingam. Loquimur etiam de religiosis qui profitentur vitam communem seu cœnobicam, prout nunc sunt in Ecclesia; nam si status religiosus consideretur ut fuit in Apostolis, vel prout

esse potest in vita solitaria vel privata, non postulat necessario hanc observantiam. Duo ergo alia videntur posse dubitari. Unum est, qualis sit obligatio religiosi non exeundi extra claustrum sine licentia; aliud est, an hæc licentia dari possit a Prælato per modum ordinariæ facultatis, vel solum per modum dispensationis.

5. *Datur obligatio ad clausuram.* — Circa primum, videtur sane dicendum hanc obligationem ex genere suo non esse tantum ex simplici ordinatione regulæ obligantis ad penam, et non ad culpam, sed esse in conscientia, et in rigore proprii præcepti obligantis juxta materiæ capacitatem; ita sentit Navarrus supra, qui non parum laborat in inveniendo hoc præcepto, et tandem illud præcipue reducit ad consuetudinem et usum omnium religionum. Quamvis enim hæc observantia a principio inceperit ex directione regulæ, postea vero usu videtur recepta tanquam res gravis, et intrinsece necessaria ad custodiam et convenientem disciplinam illius status. Nonnihil etiam potuerunt conferre Conciliorum et Pontificum decreta ad introductionem hujus præcepti, maxime illud Concilii Chalcedon., c. 4, quod refertur in d. c. *Qui vere*, ibi: *In locis, in quibus se semel Deo dedicaverunt, permanentes*; et subditur infra: *Prætereuntem vero hæc decrevimus extra communionem esse, ne nomen Domini blasphemetur.* Et aliud Alexandri II, in d. c. 2: *Juxta Chalcedonensis tenorem optimi Concilii monachis quamvis religiosis ad normam S. Benedicti intra claustrum morari precipimus, vicos, castella, civitates peragrarè prohibemus.* Quamvis enim verum sit hæc et similia fuisse præcepta ad illum finem, ut non usurparent ecclesiastica ministeria, tamen ea occasione videtur eis præcepta aliqua permanentia in claustro, vel saltem ipso usu in eo sensu est illa lex recepta. Et eodem modo, licet illa loquatur de solis monachis, et secundum antiquam institutionem, quæ ad actiones erga proximos non ordinabatur, nihilominus quoad hanc partem videtur ab omnibus religionibus recepta, nam in omnibus delictum in conscientia existimatur, clausuram frangere prædicto modo. Unde Innocentius III, in c. *Quando*, de Offic. ordin., de omnibus loquens, inquit: *Ad audientiam nostram noveris pervenisse, quod monachi, canonici, et alii regulares tuæ provincie, cum deberent potius in claustro juxta regularia instituta divinis obsequiis vigilare, claustrum abhor-*

rentes per curias principum discurrere, etc. Et similia habentur in Clem. 1, § *Quia vero*, de Statu monach., in quibus juribus directe quidem non præcipitur clausura, sed prohibetur divagatio et discursus ad curias principum, maxime sine licentia Prælatorum, et usurpando bona religionis; supponunt tamen regularem obligationem ad clausuram servandam. Hujus autem rei fundamentum magis explicabitur declarando gradum culpæ quæ in transgressione hujus obligationis committi potest.

6. *Hæc obligatio per se est gravis.* — *Casus nonnulli certi gravitatis hujus materiæ.* — Dico ergo secundo: hæc obligatio ex genere suo talis est, ut contra illam possit mortaliter peccari, ex eo solum quod materia in illo genere gravis sit. Hæc assertio sequitur ex præcedenti, nam hæc lex vel traditio obligat in conscientia, et per specialem voluntatem legislatoris non limitatur solum ut obliget sub veniali; ubi enim est hæc limitatio? nunquam enim præsumitur, nisi explicetur. Cum autem in præsentem hæc obligatio, ut est in conscientia, maxime nitatur aut legibus canonicis, aut consuetudine, deberet per illas explicari, quod non fit neque in decretis citatis, nec per consuetudinem; ergo relinquitur hæc obligatio in ordinario et quasi naturali modo obligationis legis humanæ; conditio autem hujus legis est, ut obliget quantum potest juxta capacitatem materiæ, et consequenter ut in materia gravi obliget sub mortali; ergo talis est præsens obligatio. Materia autem gravis respectu hujus obligationis potest variis exemplis explicari. Primum, si quis absque licentia claustrum egrediatur, ut extra illud diu et quasi stabili modo vivat, etsi non habeat animum nunquam revertendi, vel omnino relinquendi religionem; nam talis fuga, ex communi sensu omnium religionum, gravis transgressio est; imo, ego existimo id non fieri sine culpa apostasiæ, quando intenditur mora multum diuturna, de quo infra, in lib. 3, suo loco dicam. Multi autem, inter quos videntur esse Cajetanus et Navarrus, existimant non esse apostasiam, nisi sit cum animo non revertendi, et nihilominus pro certo habent esse grave peccatum mortale, quod tamen est in materia clausuræ. Imo idem censendum est de quacumque propria fuga, quæ occulte fit, aut quasi violenter, invito Prælato, ad vagandum aliquo tempore, etiamsi nec tempus sit multum diuturnum, neque vagatio sit ad peccandum mortaliter; et a posteriori signum hujus gravitatis est scanda-

lum et infamia vel religiosi, vel etiam religionis, quam talis fuga solet generare. Propter quod adeo est in jure odiosa, ut etiam prætextu adeundi majorem Prælatum, in canonibus prohibeatur. Et novissime Concilium Tridentinum, sess. 23, c. 4, de Regularibus, dixit: *Non liceat regularibus a suis conventibus recedere, etiam prætextu ad superiores suos accedendi, nisi ab eis missi aut vocati fuerint*; et contrarium facientes mandat puniri, ut transgressores sui instituti. Ubi particula *non liceat*, satis significat obligationem in conscientia, et modus transgressionis ac pœnæ sufficienter ostendit gravitatem transgressionis.

7. *Casus alii ex sententia auctoris.* — Præter hæc, quæ clara videntur, censeo etiam esse gravem materiam hujus transgressionis, quemcumque nocturnum exitum furtivum, et sine licentia, etiamsi alias ex fine non sit ad peccandum mortaliter, quia revera est nimis contrarius decentiæ et custodiæ religiosæ, et eosdem effectus scandali et infamiæ, per se loquendo, secum trahit. Et hoc clare supponit Clemens VIII, in decreto de casibus reservatis religiosorum: nam tertius est *nocturna ac furtiva a monasterio egressio, etiam non animo apostatandi facta*; cum enim non reserventur nisi peccata mortalia, supponit manifeste talem esse illum egressum, non tantum ex fine extrinseco, hic enim accidentarius est, et oportuisset id explicare; est ergo tale ex objecto. Unde etiam censeo, quamvis egressio diurna sit, si tamen fiat animo pernoctandi etiam extra monasterium sine licentia, esse sufficientem materiam peccati mortalis. Quia nocturna egressio non est tantum mortalis propter modum exitus, per quem vis quædam fieri videtur custodiæ monasterii, quæ sine dubio est circumstantia multum aggravans, sed etiam est gravis propter existentiam ipsam furtivam extra monasterium, tanto et tali tempore, in quo, per se loquendo, inest et periculum infamiæ et scandali, tam proprii quam aliorum.

8. *Quæ sit causa prædictæ gravitatis.* — Ex quibus exemplis conjectare possumus, radicale fundamentum hujus gravitatis esse jus superioris ad gubernandum et custodiendum subditum, quod graviter læditur per hujusmodi exitus. Nam imprimis subditus ita esse debet sub potestate superioris, ut ab illo possit vel gubernari et custodiri, vel imperari; a qua subjectione multum subtrahitur per fugam vel discessum a monasterio, invito vel